



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

5. Solutio ex indifferenti iudicio præcluditur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

constanter affirmant & sane ita physice prædeterminari, necessitaturque voluntatem à Deo ad suos actus posse, vt ipsi absoluta eos omittendi impotentia inducatur, ac subinde eius, & operationis libertati præiudicetur communior Philosophorum, & Theologorum opinio fert, atque à paritate similis præmotionis, & prædeterminationis intentionalis ad amorem beatum per visionem beatificam in communibus eorundem principis (et si nobis non satis firmis) de physica nec solum intentionalis voluntatis mobilitate euidenter ostenditur.

II. Eo vero principio negato, efficacius adhuc, prædeterminationis, ac prædeterminatiue proinde præfinitionis de se se efficacis impossibilitas demonstrabitur vt cert. 6. videbimus. Iam vero nihil speciale in præfinitione aduersariorum esse, ex quo minus se gerat cum potestate omittendi actum præfinitum, & voluntatis libertate, quam in casu antecedentis possibilis sic ostendo. Nullo alio modo necessitari illa possit voluntas ad actum, & impotentia absolute talis illum omittendi induci, atque indifferentia ad vtrumvis, seu libertas eius ad agendum aboleri, quam determinando illam in actu primo proximo independentem omnino ab eius libertate ad agendum; quin, si hoc à quouis modo possibilis ita necessitandi voluntatem ad agendum, & inducendi impotentiam non agendi, ac libertatem eius euertendi, siue præmotione, & prædeterminatione physica, siue intentionaliter auferatur, impotentiam non agendi, atque euersionem libertatis per illas non induci planum erit. Sed præfinitione actus de se efficaci determinatur absolute, & independentem omnino ab usu libertatis eius voluntas per aduersarios ad agendum: ergo inducitur per illam impotentia absoluta non agendi, euertiturque per illam voluntatis libertas: quin sufficiat ad potentiam omittendi, & voluntatis libertatem, & indifferentem ad vtrumvis absolutam potestatem remota voluntatis secundum intrinsecam eius entitatem præfinitæ sumptæ potestas, effectusque secundum intrinsecam spectati non repugnantia, seu possibilitas. Arguo decimoquinto, & confirmo, seu explico à contrario vim præcedentis argumenti. Perstante potentia remota voluntatis ad omittendum, siue entitatem voluntatis præfinitæ, & secundum se, & non repugnantia, seu possibilitate effectus secundum se spectati, manet absolute potentia omittendi actum, ac subinde indifferentia ad vtrumvis, & absoluta voluntas: Sed nullus est modus possibilis necessitandi, & prædeterminandi, aut præfinitionis siue physice, siue intentionaliter actum voluntatis præfinitæ & secundum se sumptæ, nec possibilitatis, seu non repugnantia actus secundum intrinsecam prædicatam ipsius, seu quo posito hæc non perstent: ergo nullus est modus possibilis Deo ita necessitandi, siue physice, siue intentionaliter voluntatem, eiusque libertatem euertendi. Contra id, quod aduersarii ipsi supponunt: vtroque scilicet modo ita necessitari ad actum aliquem voluntatem posse, eiusque libertatem euerti intentionaliter; physice verò vniione hypothetica, visione beata ad amorem, & præfinitionibus coactiuis, & fatalium ethnicorum atque hæreticorum præfinitionibus.

CERTAMEN V.

Solutio ex indifferenti iudicio præcluditur.

I. Sed illo additamento indifferents iudicii, quo voluntas ad vtrumvis extremum inuitatur boni, & mali propositione in obiecto persistente, ac simul possibilitate, & non repugnantia operationis, & effectus nihilo difficultatem emolliunt quantumvis ei solutioni insistant ex Antesignano suo Bannez 1. p. q. 14. art. 10. Nunnius Cabecudo t. 1. in 3. p. q. 62. art. 5. q. sua 5. Ledesma de aux. art. 10. §. Hæc autem diffinitio. Aluarez de auxil. d. 18. num. 23. d. 2. num. 42. d. 115. num. 7. d. 116. num. 3. Franciscus Dauid de auxil. cap. 3. pag. 31. alios è suis referens Ioan. à S. Thom. Theologus discipulus Carmelitus. Ioan. Martinez de Prado, & reliqui ex eis omnes, docentes iudicium indifferens à Deo efficacem & necessariam liberatis radicem esse, vt implicet voluntatem per illud in obiectum aliquod moueri, ac non libere moueri. Sed in primis, vt supra quæst. 3. cert. 1. num. 13. & hic non semel monebam fatalium præfinitionum ethnicorum auctores, & Lutherani, ac Calvinistæ cum suis præfinitionibus iudicium rationis indifferens, per quod voluntas ad obiectum vel prosequendum, vel fugiendum mouetur; adesse experiebantur, nec negare vquam tentant; & tamen à sapientioribus Philosophis, à Patribus, & Conciliis, tanquam libertatis, per eiusmodi præfinitiones ad agendum necessitantes, & impotentiam oppositi extremi inducentes, euersores repelluntur. Quod etiam his verbis obseruauit Hugo Cauellus Franciscan. & Ibericæ Primas supplemento ad quæstiones Scoti de anima, t. 2. editionis Lugdunensis d. 3. sect. 14. num. 6. [Patres dum fati inuitabilis necessitatis Patrones reseruant, nunquam eos reprehendebant, quod docerent Deum hominibus iudicij tollere indifferentiam: quoniam sane, neque ipsi, nec hæretici, quibus eorum placuit infamia, tale quidpiam adfuerant. Et tamen eos accusabant merito, tanquam libertatis euersores: quia affirmabant, Deum sua voluntate, & præficientia ita præmouere voluntatem, vt illam necessario faciat operari: ex suppositione minimi præcedenti, quam impedire in eius potestate non erat. Jætae, cum Patrum nemo ignoraret posita Dei præficientia, & prædestinatione iudicium nihilominus indifferens mouendi voluntati adesse, si huius assistentia non posset non voluntatis, & operis secundum intrinsecam prædicatam possibilis absoluta persistere necessario libertas, adeo diffidentem concordiam libertatis nostræ cum præficientia, prædestinatione, & gratia Dei minime prædicarent, vt prædicant Patres omnes: & in primis Augustinus in quæstionibus lib. 2. contra litteras Petilij c. 84. contra Iulianum c. 4. de grat. Christi, c. 24. & 47. lib. 2. de peccator. meritis, c. 18. de prædestinat. Sanctior c. 8. & 10. & epist. 46. & 47. quod si fidei scientia media de falsitate suspensa aduersarij est, quod facile per illam prædestinationem, & præficientiam cum nostrorum operum libertate certitudo componatur, vt videre est apud Aluarez 9. de auxil. d. 18. num. 6. & 7. & Zumelium t. 2. variat. dub. 3. post 6. prædicis conclusionem; nec credi absque Patrum, & præcipue Augustini (qui adeo toties huic concordie inueniendæ insudauit) iniuria eam viam adeo faciliem illos latuisse, atque repellendis hæreticis traditam aperte non esse, vt contra nos in clamat Ioan. à S. Thom. t. 1. in 1. p. d. 20. art. 6. §. Si vero dicatur Augustinum. Quanto maiori Patrum, & Augustini præfinitum, dedecore dicitur pervium, (bardi etiam hominibus, qui ea solum percipere, assequique possunt, quæ experiuntur) concordie huius iudicij indifferents medium eosdem latuisse, vel repellendis hæreticis traditum non esse, quod vero, quæ de industria dissimulatum, & scientiæ quidem altioris mediæ, etsi aliis nominibus ad eam concordiam vltim Patribus, & præcipue Augustino frequentem ostendimus controuersi. 2. de scient. d. 5. quare aduersariorum contra scientiam median in clamationes euascescunt; similes vero nostræ contra hanc iudicij indifferents Patribus notissima solutionem, qua tamen nunquam vlti Patres sunt valide eius solutionis falsitatem ostendunt.

2. Vltius cum addito etiam voluntati indifferenti illo iudicio bonitatem, & malitiam obiecti proponente, completa, & proxima, siue proxime operatiua potentia suorum actuum ipsi absque præfinitione per aduersarios non addit (alioqui præfinitio, neque vt partialis computari capium, neque vt applicatio vltima voluntatis ad operandum, vt hi aiant, requireretur) omnia argumenta hætenus facta contra voluntatis secundum se, & præfinitæ sumptæ potentiam in completam, remotam, seu non vltimam applicatam, contra eam iudicio etiam indifferenti inlicitam integram, totumque suum retinent robur: vi ea singularium percurrenti planum adeo erit, vt nostra applicatione, siue explicatione minime indigeat. Tercio, si voluntas in incognitum ferri absolute posset (vt nonnulli Theologi contemplationi diuinæ, quam rationi philosophicæ, attentiores docere) absque omni prohibitione, & attente docere, quare, & mali iudicio, & propositione, quare,

& absque iudicio indifferenti daretur voluntatis in actu primo indifferentis potestas, & tam eius in actu primo, quam in actu secundo operationis libertas: ergo tota ratio, ob quam iudicium indifferentis requiritur ad voluntatis, & operationis eius libertatem, est: quia, uti absque iudicio ferri in cognitum voluntas proxime nequit, ac proinde, ni illud necessario praequisitum intentionale principium, seu applicatum voluntatis ad obiectum indifferentis esset, neque ad obiecti prosecutionem determinans, vel ab eo determinate retrahens, non relinqueret potentiam absolute indifferentem ad utrumvis. Atqui absque Dei causæ primæ voluntate & decreto nequit etiam voluntas nostra operari proxime: Ergo, & si iudicium indifferentis addit, si tamen Dei voluntas, & decretum non sit indifferentis ad prosecutionem, vel non prosecutionem, & fugam obiecti propositi, sed determinatum & determinans voluntatem ante usum libertatis ad prosecutionem obiecti determinate, non relinquet ad non prosecutionem, siue ad fugiendum obiectum potestatem: quare neque absolute ad eius prosecutionem libertatem. Confirmatur, & explicatur huius argumenti robur, quia potentia proxima operandi in voluntate duo principia extrinseca (in communi, & vera opinione de impotentia voluntatis prosequendi incognitum) essentialiter, & ex æquo requirit, & claudit: & voluntatem, seu decretum Dei, sine quo poni in rebus creatum aliquod repugnat, & obiecti propositionem: cur ergo determinatio, ac non indifferentia intentionalis propositionis obiecti voluntatis, & operationis indifferentis, & libertati officit, non autem determinatio ex voluntate, & decreto Dei præfinitio operationis, & actus voluntatis creatæ? Huius iam diu speravi, vel potius desperavi, disparitatem: ergo. Etenim, cum potentia proxima, seu proxime operativa voluntatis in coniunctum voluntatis propositionis, & diuine voluntatis, seu decreti consistat, neque aliquo ex his deficiente potentia proxima, & proxime operativa voluntatis stare queat, ex quocumque horum determinatum sit coniunctum, seu potentia proxima ad extremum unum, v. g. ad operationem, potentia proxima voluntatis indifferentis non erit ad utrumvis: sed ad alterum determinata, ad eius vero oppositum imposita: quare non libera, sed necessaria potentia.

3. Vigetur amplius quia eo solum titulo, quod potentiam proximam operandi cum voluntate iudicium constituit, debet esse indifferentis, ut potentia proxima voluntatis, seu coniunctum illud indifferentis, & liberum in operando absolute sit: ergo & duo etiam alia, quæ coniunctum illud, seu potentiam proximam operandi æque constituent, eorumque quodvis indifferentis esse debet, neque ad unum determinans, & determinatum ut coniunctum, & potentia proxima indifferentis absolute, & libera sit. Vigetur tertio, quia si intrinseca, & entitativa potentia voluntatis determinata ad unum esset, quantumvis iudicium indifferentis adesse, & coniunctum illud, seu potentia proxima indifferentis absolute non esset, ac libera, sed determinata absolute ad unum, ac necessaria: idque eo solum titulo, quod voluntas coniunctum illud, quod potentia proxima operandi est, essentialiter constituit: atqui Dei voluntas, & decretum coniunctum idem, quod potentia proxima operandi est, essentialiter constituit æque, atque voluntas creatæ: ergo, si ad unum extremum determinans sit, ac determinatum, & si iudicium indifferentis addit, coniunctum illud, siue potentia proxima operandi, sed determinata, atque necessaria. Denique vigetur, & confirmatur simul instantiæ omnes productæ hæcæque, quia in opinione omnibus fere, etiam Theobonitis, communi, & vulgarissima de necessitate intentionis finis ad electionem mediæ ad ipsum obtinendum, cum aliis supradictis ad medium eligendum constitutionem essentialiter ingreditur, si medium unicuique sit, potentia proxima ad eius electionem indifferentis: & libera absolute non est, sed determinata ad unum, & necessaria in operando: idque ideo, quia principium determinatum, & determinans ad electionem est, & con-

iunctum, seu potentiam proximam ad eiusmodi electionem essentialiter constituit: ergo, cum Dei voluntas, & decretum essentialiter coniunctum, seu potentiam proximam operandi essentialiter ingreditur, determinatumque per vos, & determinans sit ad operationem & actum determinatum, eius indifferentiam, & libertatem euerteret.

4. Quarto impugnatur solutio. Vnio hypostatica non abstrulit humanitati Christi iudicium indifferentis, quo mors ex præcepto diuino amplectenda, atque ob disconuenientiam physicam naturæ fugienda eius voluntati proponebatur, ut Christus Dominus his verbis expressit. *Pater si possibile est transeat à me talis iste, verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat, vel non sicut ego volo, sed sicut tu.* Et tamen abstrulit humanitati potentiam peccandi, seu omittendi acceptionem mortis oblata præceptam, & faciendi siue omissionis, siue positionis contra quodvis præceptum naturale: siquidem eam constituit per aduersarios antecederet impeccabilem: ergo, & si præfinito compatiatur iudicium indifferentis circa obiectum propositum, cum tamen non minus determinet antecederet, & in actu primo voluntatem ad actum præfinitum, quam vnio hypostatica humanitatem ad actum præceptum, ac non peccandum, tollit absolute potentiam ad omittendum actum præfinitum, ac subinde ad eum eliciendum libertatem. Negabis in humanitate iudicium indifferentis esse posse circa obiectum præceptum, siue positionem, siue priuationem, quia cognouit humanitas connexionem actus, seu omissionis præceptæ cum bono in communi, ad cuius prosecutionem determinata, & necessitata de se se voluntas creata est iuxta S. Thom. ac proinde cognito præcepto actus, vel omissionis cessat indifferentia iudicii: maxime, cum vi vnionis hypostaticæ humanitati afferatur visio beata pugnans cum iudicio conuenientie prosequendi prohibitum, & omittendi actum præceptum. Sed in primis solutio pugnat cum textu Evangelij recitato. Qui tradit conuenientiam physicam, & naturalem mortis præceptæ fuisse Christi humanitati representatas: quod ipsum est iudicium indifferentis. Secundo voluntatem necessitatem esse ad bonum in communi prosequendum, quoad speciem intelligitur à S. Thom. & reliquis, non quoad exercitium: quare, & si connexio actus prohibiti, vel præcepti necessario vi vnionis humanitati innotesceret, adhuc iudicio alterius partis esset locus, imo & libertati contradictionis in exercitio eliciendi, vel non eliciendi actum prohibitum, vel præceptum. Quarto, ni aliunde vnio antecederet etiam cum peccato pugnaret, nil libertati obesset, nec iudicii indifferentie. Quinto, cum bonum physicum species boni sit, tam habet connexionem identitatis cum bono in communi, quam species altera boni moralis: quare, cui conuenientia, & bonitas physica non moriendi repræsentata est, ac simul moralis, ut repræsentata fuit humanitati Christi, non repræsentatur alterius determinate cum bono in communi connexio: ac proinde supposita determinatione voluntatis quoad speciem ad bonum præ malo amplectendum, datur nihilominus libertas eius, quoad speciem, & quoad exercitium ad bonum physicum præ morali prosequendum; & contra ad fugiendum malum physicum præ morali, dareturque in Christi humanitate, ni ad malum morale fugiendum vnio hypostatica antecederet impeccabilis euaderet.

5. Sexto, dato toto, quod in solutione hac supponi ab aduersariis potest de necessitate voluntatis, etiam quoad exercitium, ad prosequendum bonum in communi, & cognitione præcepti actus, vel omissionis, solui inferitur indifferentis iudicium non posse, secundum eam partem, qua retrahit à præcepto exequendo, mouere voluntatem humanam Christi. Et si ea pars iudicii persistat: quia ea necessitate voluntatis ad prosequendum bonum in commune non potest non prosequi præceptum actum, vel omissionem, quam connexam cum bono in communi humanitas Christi vnita hypostatice cognouit: non autem probat iudicium de disconuenientia physica, & naturali mortis non manere, ut patet: sed posita præfinitione tua, & si maneat iudicium indifferentis, & retrahens ab actu præfinito, & ad

alium

illum inducens, tamen ea parte, qua ab actu præfinito retrahit, non mouet, potestue mouere voluntatem, sed solum ea parte, qua in ipsum inducit: ergo sicut iudicium indifferens satis non est, vt humanitas Christi ex ratione hypostatica antecederet impeccabilis potentiam habeat absolutam ad omittendum actum præceptum impeccabilitati repugnantem, ac proinde ad illum eliciendum libertatem, ita, nec voluntas posita præfinitione antecedente actus, potentiam habebit absolutam ad ipsum omittendum antecedenti præfinitioni illius repugnantem. Et quidem solutio hæc secundum hanc considerationem in eam recidit, quam aduersarij adhibere solent de iudicio indifferenti speculative solum respectu humanitatis Christi; respectu autem voluntatis nostræ ad actum præfinitum, non speculative solum, sed practice indifferens, de qua infra. Et ex qua aduersarij iterum refellimus, eorumque rationem præcipuam pro solutione iudicii indifferents eneruabimus. Illud tandem de visione beatæ humanitatis Christi titulo vnionis hypostatice ad Dei amorem necessitantis, atque iudicium de conuenientia mortis præceptæ quod conuenientia illius vitandæ iudicium minime patitur, quare neque indifferens circa eam acceptandam, & reculandam iudicium sit, extra rem præsentem in primis est. Etenim argumentum est ex impotentia antecedenti omittendi, seu non acceptandi mortem præceptam seu impeccabilitate, quam humanitati formaliter asserit, nec solum exigit, vt beata visio: ac proinde, & si visio Dei cum iudicio conuenientia fugiendi, ac non acceptandi mortem, aut peccatum admittendi pugnaret; id tamen aliud impeccabilitatis genus, & aliunde ortum formaliter esset, non ex vnione hypostatica præcise, vt hi asserunt: quæ quidem, & si Deus exigentia vnionis non annueret, visionemque (vt absolute potuit) negaret humanitati (sicut plura, quæ tam vnio, quam visio beata exigebant, humanitati eidem pro statu viæ negauit) nihilominus eius impeccabilitas antecedens permaneret, tuncque impotentia non acceptandi mortem, ac negatio libertatis ad peccandum, vel non peccandum cum iudicio indifferenti consisteret: quare, & impotentia omittendi actum præfinitum, & negatio libertatis ad illum omittendum, vel non omittendum cum iudicio indifferenti persistit.

6 Et tandem cum visione etiam beata humanitatis iudicium, non solum de conuenientia morali acceptandi mortem præceptam, sed de eius etiam disconuenientia physica, & physica etiam conuenientia vitandæ mortem præceptam, speculative, ac proinde iudicium indifferens stare speculative posse certissimum est: cum, nec obiectorum, nec vtriusque iudicii veritates, vel inter se se, vel cum visione beata decerent, quod autem iudicium hoc indifferens, qua parte retrahit ab opere præcepto, mouere stante visione beata nequeat, solum probat non esse iudicium ex ea parte practicum quod iam impugnanda solutio alia est. Mitto alteram solutionem, qua iudicium indifferens ad transgressionem præcepti humanitati Christi, aut aduersarij impossibile: quia cum ex vnione sit impeccabilitas, ac proinde impotentia antecedens transgressionis, & iudicium indifferens sit libertas, seu potestas ad vtrumvis duo contradictoria coniungerentur, si hoc humanitati vnitæ hypostatice adesset. Solutio enim hæc est petitio principij, & conclusione ipsa respondet satis impugnata huc viget: nimirum in iudicio indifferenti ita voluntatis constitutam esse, vel necessario consequentem libertatem, vt quæcumque requisita ex parte causæ determinantia inuitabiliter ad effectum vel adfint, vel desint, voluntati (etiam decretum diuinum concurrere cum ipsa) stare necessario debeat eius ad vtrumvis potentia absoluta, & libertas, quod in impotentia peccandi, & necessitate humanitatis Christi ad non peccandum deficere, ratione impeccabilitatis ab vnione hypostatica formaliter inducitur, satis ostendimus. Secundo non minus antecederet pugnat præfinitio cum omissione, seu negatione actus præfiniti, quam vnio hypostatica humanitatis, & antecedens impeccabilitas per ipsam inducta in humanitatem cum peccato, & transgressionem præcepti. Sed per vos non obstante ea pugna componi potest, de factoque componitur præfinitio cum iudicio indifferenti, & potestate ad omissionem actus, & libertate: ergo, pugna impeccabilitatis humanitatis non obstante, potest componi

cum iudicio indifferenti potestas absoluta transgressionis præcepti, & peccati: ac proinde neque cum absoluta eius libertate ad peccandum, vel non peccandum pugnabit: quare neque humanitas Christi erit absolute antecederet impeccabilis, vt asseritis: ergo alterum à vobis defendendum necessario est: scilicet, vel solutio hæc ex indifferencia iudicii petita, vel absoluta humanitatis Christi ratione vnionis hypostatice impeccabilitatis antecedens.

7 Respondent denique aduersarij iudicium indifferens speculative humanitati Christi adesse posse, & de facto adfuisse, secus autem indifferens practice, quod solum libertatem constituit: quia & transgressio præceptæ mortis impossibilis est humanitati ratione vnionis hypostatice antecederet impeccabili: quare & iudicium sit vnitæ humanitati conuenientiam physicam reculandi, aut non acceptandi mortem præceptam, & hoc præceptum, (& idem est de quouis alio) transgrediendi esse de re humanitati sic vnitæ impossibili, quare practicum esse non posse: sicut iudicia alia de re nobis impossibilia, à nobis que non factibilia practica nobis esse nequeunt: maxime, cum nobis aliquid agendi, aut omittendi, sicut transgrediendi præceptum, & non acceptandi mortem impossibilitas ob antecedentem impeccabilitatem, innouit. Etenim ad impossibile nulla etiā vis, aut potestas motus intentionalis in iudicio vltio esse potest, quantumvis id iudicans ignoret, ac posse se ad illum per errorem censat: nedum, cum se ad illum non posse clare, & euidenter cognoscit. Contra tamen est. Iudicio iudicii indifferens humanitatis vnitæ hypostatice, & antecederet impeccabilis, qua parte illam a præcepto exequendo retrahit, & ad eius transgressionem inducit, practicum non est, ac subinde nec practice indifferens absolute, vt ad libertatem constituendam esse debet: quia humanitati hypostatice vnitæ, vt vnitæ, & impeccabili, transgressio præcepti est antecederet impossibilis: atqui voluntati, vt subest præfinitioni actus seu coniunctum sumptæ cum illa (sicut sumitur ad eius impeccabilitatem, & impossibilitatem transgressionis præcepti antecederet humanitatis coniunctum cum hypostatica vnione) eius omisso, aut actus contrarius est antecederet impossibilis: ergo, nec iudicium indifferens proponit practice voluntati, qua parte ab actu præfinito retrahit, & ad actum contrarium inducit, sed solum speculative: quare nec practice indifferens absolute est ac proinde, nec libertatem constituere, iuxta solutionis huius doctrinam sufficiens. Quod additur de iudicio euidenter humanitatis vnitæ impossibilitatis præcepti ab ipsa transgrediendi, solum probat non posse in illa esse errorem possibilitatis transgressionis vnione posita, neque inanes transgrediendi conatus: non autem rationem impracticæ ex ea parte per illud iudicium euidenter indifferenti iudicio augeri, quod ex vnione supposita, ex qua transgressio inducitur humanitati impossibilis, omnino ex parte illa impracticum erat. Secundo quidquid de hoc sit, etiam euidenter Christi humanitati fuit cum præfinitione cuiusvis operis (quam adesse sibi, iuxta aduersarij opinionem) etiam non ignorabat ad omnia, quæ operabatur) esse eius omissionem impossibilem: & tamen fuit in eis eliciendis liber nemine, etiam ex aduersariis, negante, potenterque non elicere: ergo & in obseruatione præcepti ita liber fuit, vt transgredi illud, ac peccare absolute posset. Quare & contra ipsos fuit absolute peccabilis, neque ex vnione absolute impeccabilis: vt ex hac eorum contendebamus solutione.

8 Hinc arguo contra eandem solutionem de iudicio indifferenti, ac simul eius præcipuum argumentum euerito: quia posita præfinitione iudicii indifferens, qua parte proponit motum illum omittendi, & omissionem, seu contrarium actum, non est practicum, seu motuum intentionaliter absolute, etiam in actu primo ad omissionem vel actum contrarium: ergo non constituit potentiam liberam intentionaliter. Antecedens probatur: quia representatio ad actum reuera impossibilem motum impossibilem effectus non est motus vere, & absolute intentionaliter: sed motus, siue positiuus actus contrarij, siue negatiuus actus præfiniti, stante præfinitione illius est voluntati absolute impossibilis: ergo representatio iudicii indifferents, qua parte ab actu præfinito retrahit, ad omissionem, vel ad actum contrarium inducit, non est absolute motus in actu primo intentionaliter. Consequenter prima

prima probatur, quia potentia libera in actu primo intentionali constituitur solum potest per iudicium indifferens motus, seu potens in actu primo representatione conuenientie vtriusque partis contrarietatis, seu contradiotionis intentionali: mouere ad obiecti prosecutionem, vel fugam, siue positiuam, siue negatiuam: argui iudicium illud indifferens, quia parte retrahit ab actu præfinito, præfinitione posita, non est potens mouere ad omissionem actus, neque ad actum contrarium, ac proinde non est indifferens motus: ergo nec constituitur, nec constituere potest, præfinitione posita, potentiam liberam intentionali-ter. Acque hinc eueritur funditus aduersariorum fundamentum. Est enim posita præfinitione maneat iudicium indifferens, ac sine iudicio indifferenti nequeat esse libertas voluntatis, ac proinde hoc inter necessarium libertatis arbitrii in actu primo constitutionem. Ad neque adæquatum libertatis constitutum est; alioqui appetitum brutum, cui vtrumque sæpe sensibilibiter proponitur, liberum contra aduersarios constitueret: nec, in adæquate adhuc ex parte indifferentiæ intentionalis ad absolutam voluntatis libertatem requisitæ illam constituit, nisi præfinitio indifferens (vt aduersarij aiebant) sit, seu vtrumque, vel potius ad actum, vel eius oppositum mouere intentionali-ter, & sollicitare voluntatem ex parte actus primi positi. Quod autem posita præfinitione mouere illam ad oppositum actui præfinito nequeat, vt ostendimus, respectu huius partis pure speculatiuum manet, quare absolute indifferens præfinitio non est, neque aptum libertatem constituere: sicuti neque in humanitate Christi ad peccandum, vel obtemperandum præceptum, neque in compedio, & catenato ad ambulandum, vel non ambulandum, & mille aliis, in quibus iudicium indifferens speculatiuum cum impotentia, seu potentia remota absolute impedit ad vnum ex oppositis extremis reperitur. Vnde etiam constat falso ab aduersariis dici: voluntatem posita præfinitione actus ex iudicio indifferenti illum elicere: Ad id enim opus erat, quod ab actu præfinito in actu primo retraheret, sollicitaretque ad oppositum, atque voluntas eiusmodi sollicitationi renueret, & sollicitationi ad actum concederet: quod vim motuum iudicii ad veramque partem requirit, quia ipsi ad retrahendum ab actu præfinito deficiunt, quare ex ea parte pura speculatio est, & testis, non susceptor solæ iudicii illius parte, quæ ad actum sollicitat, voluntas mouetur, ac si, quod ad eius motionem attinet, pars altera retrahens ab actu non adesset.

9 Sexto eandem solutionem impugno, quia non minus indifferens actus physice de se se voluntas est, quam sit intentionali-ter indifferens iudicium illud: & tamen indifferens actus physice voluntatis de se se, & intrinsece indifferens per extrinsecam determinationem ipsi ex parte actus primi adiuncta ita antecederet determinatur, seu prædeterminatur, vt absolute indifferens, & libera in actu primo non maneat ad vtrumvis, sed impos absolute ad oppositum: ergo, etsi iudicium indifferens de se se vim motuum intentionalem habeat, tamen extrinseca prædeterminatione præfinitionis ad vnum determinatur vt non maneat indifferens sed ad vnum determinata in actu primo, & impos absolute ad oppositum. Nec valeret determinationem, quæ absolute indifferens vnius generis absolute auferatur, aut impediatur in eodem genere, vel physico, vel intentionali esse debere; præfinitionem autem esse in genere actus determinationis physice, quæ proinde potentia voluntatis indifferenti physice actus officiat, sicut indifferentiæ potentia solum intentionali-ter motus, quæ alterius generis est. Nam per determinationem iudicii solum intentionali-ter motui, v. g. visionis beatæ, impeditur, auferre potentiam absolutam, physice alias indifferens ad amandum, vel non amandum, aut odio habendum Deum, & aduersarij asserunt, & hac ipsa solutione, quam consueuimus generaliter supponere. Et ratio à priori est, quia cum indifferens absoluta voluntatis in actu primo ad vtrumvis ex indifferencia vtriusque generis, & actiuitatis physice, & intentionalis essentiali-ter constituitur sublata indifferencia alterutrius generis per determinationem in illo, implicat absolutam indifferensiam, seu potentiam ad vtrumvis persistere. Septimo impugnatur solutio eadem de indifferenti iudicio, quia etiam posito, & addito voluntati, si tamen ex parte Dei causæ primæ non adit decretum concurrenti cum vo-

Christoph. de Ortega, de Deo Uno, Tomus I.

luntate creata (siue illud præfinitio sit, vt hi asserunt, siue indifferens concurrenti decretum quod quidem primo, & principaliter ad voluntatis operationem requiritur) abest, absoluta potentia ad operandum abest: quare neque indifferens ad operandum, vel non operandum, & libera esse potentia ad vtrumvis poterit, sed operandi impotentia. Octauo tristitia damnatorum de poenis concepta libera erit: cum malum vltimus sibi esse de poenis tristari, ac non tristari bonum sibi esse iudicent, quantumvis cogniti poenarum ad tristitiam sollicitet: quare & in damnatis est iudicium indifferens ex vna parte ad tristitiam inducens, & ex alia a tristitia retrahens, in quibus tamen de poenis tristari liberum non est. Non tota hæc solutio de potentia voluntatis secundum se, & præfinitio sumpta, aut etiam iudicio indifferenti instructa (imo & omnes aduersariorum solutiones) aperte confutantur ex stata ipsius doctrina de absoluta impotentia Angeli ad peccandum in primo instanti suæ creationis: in quo, & voluntas secundum se, & possibilitas præfinitio sumpti peccati, & iudicium indifferens ad vtramque partem aderat, adesse poterat: & tamen ad peccandum absolute potentia non erat, imo vero absoluta per eos peccandi impotentia Angelo pro eo instanti aderat: quia Deus creationis iure illius instantis primi operationes creato Angelo indere tenetur, eumque proinde ad illas eliciendas prædeterminare: ad quod ipsum causæ primæ titulo respectu operationum rationalis creaturæ pro quavis duratione operatur per ipsos præfinitores, & prædeterminatores tenetur.

10 Ex dictis cert. 4. & 5. verbales alia, rerum vacuæ, solutiones aduersariorum disparent. Quarum meminimus cert. 4. n. 1. nempe necessitatem consensu nostri à Deo præfinito ex Dei præfinitione ortam, & impotentiam ad eius contradictorium, & contrarium extremum eadem præfinitione simul inductam esse necessitatem vnius, & impotentiam alterius, non simpliciter, neque absolutam, quæ libertati causæ, & voluntatis solummodo officiant, sed secundum quid, & ex suppositione, quæ cum voluntatis libertate coheret, vt Patres, & Theologi omnes fatentur. Etenim ea necessitas, & impotentia voluntati secundum se absolute, & simpliciter sumptæ non competunt, sed cum addito, & ex suppositione præfinitionis. Ceterum, qui Patrum nostris, & Theologorum, ac Philosophorum omnium verbis conueniunt huc, eorum omnium sensum, sententiamque debent retinere. Constat autem ex eorum verbis datis supra q. 3. & sequentibus necessitatem simpliciter, & absolute talem libertati voluntatis aduersam, eandem cum necessitate antecedente, & ex parte causæ, & potentia ad operandum, & quæ causa est, vt res sit, facit, cogitque, aut prohibet rem esse, quæ omnia in necessitatem ad vnum, & impotentiam ad extremum oppositum ex præfinitione alterius extremi ortam, manifeste cadunt. Constat item necessitatem ex suppositione, & secundum quid vnius extremi, & impotentiam, seu impossibilitatem alterius, quæ libertatem voluntatis comparitur, eandem cum consequenti necessitate esse, & quæ nec facit, nec cogit, aut prohibet rem fieri, ac esse, vel non esse à causa; sed quæ res necesse est quandiu est, siue ex suppositione quod sit. Et hanc quidem necessitatem vnius extremi, & impotentiam alterius oppositi solam diuina vnius extremi præfinitione non induci, sed aliam explicatam, & libertati contrariam manifestum est. Secundo constat ex aduersariorum principis. Etenim, si quidquid voluntati absolute, & simpliciter sumptæ additur necessitatem, & impotentiam simpliciter, & absolute talem ad eius operationem, & negationem operationis non inducit; neque ad potentiam absolute talem ad vtrumvis iudicium indifferens requiretur: nam potentia, aut impotentia ad vtrumvis simpliciter, & absolute talis in voluntate simpliciter, & absolute tali; absque attentione adiuncti alterius construenda per hos erit. Cum eorum solum positio, aut defectus attendi debeat, quæ absolute talem potentiam ad vtrumvis constituunt.

11 Secundo. Cum vni hypothetica, & beata visio suppositiones extrinsecas voluntati sint, non absolutas, & simpliciter dictas necessitates libertati humanitati Christi ad peccandum, & beati ad non amandum Deum contrarias inducent, sed solæ necessitates ex suppositione, & secun-

T t t dunt

